

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XXXVI. Continens Historiam De Vocatione Petri, Andreae, Jacobi Et
Johannis. Matth. 4., Marc. I. Luc. 5.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

esse absq; peccato, vel suis operibus se gratiam Dei & vitam aeternam posse consequi. Item Epicurei, qui de peccati abominatione serio non cogitant, de ira Dei non sunt solliciti, sed securi in peccatis manent & pergunt. Præponit igitur Christus pœnitentiam, hoc est: Primò vult omnes homines scire & agnoscere, quòd in peccatis coram iudicio Dei sint perditæ, quòdque sint extra regnum gratiæ Dei, sub potestate diaboli & mortis aeternæ, propter peccatum: & quòd nec operibus nec ulla alia ratione, quàm quæ in Evangelio proponitur, inde possint liberari. Deinde per doctrinam pœnitentiæ in cordibus vult excitare aversionem & detestationem peccati, contritionem seriam, dolorem & metum iræ Dei, sollicitudinem & desiderium evadendi. Animis autem ita præparatis, non vult nos desperare; sed additur altera clausula: (*Et credite Evangelio,*) quòd regnum Dei, hoc est, gratiam Dei annunciat & in Christo offert, ac simul monstrat, quòd sit medium seu organum, quo quæramus, accipiamus, & nobis applicemus regnum Dei, hoc est, gratiam Dei, remissionem peccatorum, & vitam aeternam. Non autem imponit nobis, ut nos aliquid conferamus aut præstemus ad promerendam gratiam Dei, & vitam aeternam, sed monstrat nobis Messiam, qui sua obedientia & merito beneficia illa acquisivit, & Deum Patrem, qui propter Filium Mediatorem, gratis illa per Spiritum sanctum vult distribuere, & donare. Nos verò credentes Evangelio, ea, quæ Messias acquisivit, quæ Spiritus sanctus offert, & quæ Pater gratis donat, fide accipimus & nobis applicamus. Hæc manifesta sunt. Dicit enim: (*Credite Evangelio.*) Et ne de historica tantum agnitione & assensione intelligatur: addit Marcus præpositionem, (*Credite c̄ τῷ εὐαγγελίῳ.*) Sicut in præcedentibus de præpositionibus, cum quibus verbum credere construitur, diximus. Lex verò, quæ nostra opera requirit, non est ex fide, Gal. 3. v. 12. Nam qui fecerit, vivet: sed Evangelium concionatur de Filio Dei, de regno Dei, hoc est, quòd propter Christum Pater gratis offerat & donet regnum suum, quòdque illud fide accipiat. Christus igitur contra Epicureas persuasiones pœnitentiam fidei præmittit, & contra Pharisæicas opiniones monstrat, quòd sit verum &

unicum fidei iustificantis objectum, Evangelium scilicet regni Dei, non lex factorum: sicut Paulus eruditè hoc evolvit, Roman. 10. v. 6. Gal. 3. v. 12. Et dignum est consideratione, quòd eadem forma docendi de pœnitentia & fide usus est etiam Baptista. Eandem formam Christus præscripsit Apostolis, Matth. 10. v. 7. Marc. 6. v. 12. Luc. 9. v. 2. & septuaginta discipulis, Luc. 10. v. 9. & post resurrectionem, Luc. 24. v. 47. Eadem formam docendi usi sunt Apostoli post acceptum Spiritum sanctum, Act. 2. v. 38. & 3. v. 19. Paulus etiam Act. 20. v. 21. summam doctrinæ suæ, quam acceperat per revelationem Filii Dei post ascensionem, colligit in hæc capita, & quidem hisce verbis: Testificans pœnitentiam in Deum, & fidem in Jesum.

Quartum caput doctrinæ Christi Matthæus dicit hoc fuisse: (*Appropinquant enim regnum cælorum.*) Hæc phrasis, quòd regnum Messia vocatur regnum cælorum, quæ sæpè usurpatur à Filio Dei, sumpta est ex Daniele, qui cap. 2. v. 44. inquit: In diebus regum illorum, suscitabit Deus cæli regnum. Quòd Matthæus dicit: (*Appropinquant regnum cælorum.*) idem est cum eo, quòd Marcus dicit: (*Appropinquant regnum Dei.*) Potest verò in hoc contextu ita hoc accipi, ut inter capita doctrinæ Christi sit & hoc unum: quid consequantur illi, qui regnum Dei fide accipiunt: seu qui sint effectus Evangelii fide accepti: quòd scilicet ingrediamur regnum cælorum, in quo datur gratia Dei, remissio peccatorum, adoptio, salus, & vita aeterna. Utque in hunc finem, in hoc regno, per Spiritum incipiamus cælestem vitam agere, hoc est, ut non amplius peccato, diabolo & mundo, sed Deo serviamus in iustitia & sanctitate coram ipso. Sicut hæc alibi plenius explicantur.

Hæc observatio de summariis concionum Christi capitibus propterea utilis est. Sæpè enim in narrationibus Evangelistarum occurrit, Christum prædicasse verbum Dei, aut sermonem regni, &c. ubi de sententia concionum nihil annotatum extat. Illa igitur ex summaria comprehensione peti potest & debet. Et per se ipsi animis percipiendum & gratum esse debet, summam concionum Christi in pauca & certa aliquod capita comprehensam habere.

CAPUT XXXVI.
CONTINENS HISTORIAM DE VOCATIONE PETRI,
ANDREÆ, JACOBI ET JOHANNIS. MATTH. 4. MARC. 1.
LUC. 5.

RATIO ORDINIS.

HOC loco de ordine historiarum magna est controversia. Videntur enim Evangelistæ non eodem modo has historias descripsisse. Ut Lucas soli Petro dictum esse scribit: (*Post hæc homines sapies:*) quòd Matthæus & Marcus Petro & Andreæ simul dictum esse confirmant. Lucas etiam dicit Jacobum & Johannem simul cum Petro naves ad terram subduxisse, quorum tamen navem non in eodem, sed in alio loco stationem habuisse, Matthæus

& Marcus scribunt. Augustinus igitur sentit, peculiarem historiam esse, quam Lucas c. 5. v. 1. describit, & accidisse longè ante illam, quam Matthæus & Marcus describunt, ac Simonem cum sociis suis subductis ad terram navibus, eo animo reliquisse tunc paulisper omnia, ut postquam reverentiæ gratia Christum aliquo usque deducendo ipsum secuti essent, ad operas suas piscatorias redirent. Ac postea interjecto aliquo tempore, secutam esse aliam vocationem, quam Matthæus & Marcus descri-

describunt, postquam in separabili sectatione Christo adhaeserint ut discipuli. Hanc sententiam plerique alii sequuntur, à quibus excogitata est hæc distinctio: quòd Johan. 1. v. 40. vocati sunt ad simplicem notitiam: Luc. 5. v. 10. ad familiaritatem: Matth. 4. v. 19. ad sequelam.

Osiander verò, & qui ipsum sequuntur, Molinæus, Codomannus, & alii, hoc prorsus invertunt. Sumunt enim hoc *αἰτήματα*, nullum Evangelistarum extra ordinem aliquid commemorasse, sed historias sine ulla traiectione vel anticipationis vel recapitulationis, eo ordine, sicut apud singulos Evangelistas descriptæ sunt, ponendas, licet hoc modo ex multis historiis, quæ prorsus eadem esse videntur, diversæ sint faciendæ. Et quoniam Marcus dicit: vocationem illam factam esse ante miraculum in synagoga Capernaica in dæmoniacò editum, & ante sanatum focrum Petri: Lucas verò c. 5. v. 6. post hæc duo miracula describit historiam de captura piscium. Ponunt igitur duas prorsus diversas historias: & vocationem, quam Matthæus & Marcus describunt, sentiunt, factam esse longè ante capturam piscium, Luc. 5. v. 6.

Gerson censet, probabile esse, quod eadem sit historia, & eadem vocatio, & Matt. 4, 19. & Luc. 5. v. 10. nisi quòd Lucas circumstantias in Matthæo & Marco præteritis diligentius & plenius descripsit. Et hæc sententia rei ipsi & regulis suprâ in prolegomenis traditis omnium optimè convenit. Ne scilicet præter necessitatem eadem historiarum, propter variationem quarundam circumstantiarum, quæ facillè conciliari possint, discernantur in diversas. In utraque enim historia verba vocationis eadem sunt: *Faciám vos piscatores hominum*. Et, *Eris homines capiens*. Item, *Relictis omnibus secuti sunt eum*. Et pulcherrima erit Harmonia, si simul jungantur hæc descriptiones, ut fiat una historia. Matthæus enim & Marcus scribunt: Petrum & Andream rete in mare iniecisse; qualis verò fuerit jactus ille, Lucas plenius explicat. Ita Matthæus dicit, Jacobum & Johannem inventos fuisse sarricentes retia: qua occasione verò rupta fuerint retia, Lucas sua descriptione indicat. Illis vero, qui diversas faciunt historias, necesse est dicere: Petrum cum reliquis factos prævaricatores & apostatas, ut, qui deserta prima vocatione, & relicto Christo, ad piscationem redierint, ita ut opus ad ipsos fuerit nova vocatione. Cùm scriptum sit, Luc. 9. v. ult. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est ad regnum Dei. Probo igitur Gersonis sententiam, quòd eadem sit historia & vocatio. Utrobique enim scribuntur ad capturam hominum vocati, & relicti omnibus secuti Christum. Quam phrasin non de vulgaribus auditoribus, sed de discipulis, qui, ut perpetui sectatores semper ipsi adhærebant, intelligendam esse, mani-

festè ostendit locus Marc. 9. v. 38. ubi Johannes dicit: Vidimus quendam ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, &c. & non absurdè colligi potest, Lucam historiam illam vocationis non suo loco & ordine narrare: præmittit enim historiam de sanato focru Petri, c. 4. v. 38. Sed Marcus dicit, sanationem illam factam, cùm jam Simon, Andreas, Jacobus, & Johannes Christum sectarentur. Ergo non ante, sed post vocationem ipsorum hoc accidit. Et Lucas, cùm in fine capituli 4. v. 38. de domo Simonis mentionem fecisset, voluit per recapitulationem subjungere vocationem Petri, per cujus occasionem contigit, Christum domum Petri ingredi.

Contraria verò argumenta facillè possunt explicari. Lucas enim, qui soli Petro dictum esse, scribit: *Eris homines capiens*, &c. mox in plurali addit: *Relictis omnibus secuti sunt eum*. Non ergò solus Petrus vocatus fuit. Quia verò in singulis navibus erant mercenarii, sicut Marcus scribit: Matthæus ergò notat, non omnes, qui in navi illa erant, vocatos fuisse, sed Petrum & Andream. Eadem etiam ratione secundum argumentum explicari potest. Lucas dicit: Jacobum & Johannem socios Simonis habuisse peculiarem navem: & post capturam utramque navem ad terram subductam esse. Matthæus verò ostendit, Jacobum & Johannem non in locum Petri, sed in peculiarem stationem naviculam suam subduxisse, id, quod Lucas etiam tacitè significat, cùm inquit, Jacobum & Johannem, socios Simonis, tam procul abfuisse, ut non potuerint voce & clamore advocari, sed quod nutibus & gestibus agendum fuerit. Atque ita post vocatum Petrum & Andream, Jesus paululum in littore progressus, in alia statione invenit Zebedæum cum duobus filiis. Tertium etiam argumentum non concludit, semper scilicet diversas esse historias, quæ non eodem loco & ordine ab Evangelistis describuntur, sicut in prolegomenis ostendimus. Et ex regulis de investiganda ratione ordinis ibi traditis colligitur, Marcum hoc loco servare ordinem rei gesta. Ponit enim certam hanc notationem, Jesum, post illam vocationem, ingressum Capernaum, & ibi in synagoga edidisse miraculum in dæmoniacò, & mox comitatum quatuor illis recens vocatis discipulis sanasse focrum Petri. Lucas verò sine certa notatione temporis & ordinis simpliciter dicit: *Et erat*, &c. *Et factum est*, &c. quæ formulæ sine observatione ordinis historiarum & temporis aliquid descriptum esse notant, sicut in prolegomenis ostendimus. Ordinem igitur hujus vocationis Marcus notavit: Lucas verò per recapitulationem circumstantias descripsit. Et ita plana est ratio ordinis hujus historiarum.

HISTORIA DE MIRACULOSA CAPTURA PISCUM, ET DE VOCATIONE PETRI ET ANDREÆ, JACOBI, ET JOHANNIS,

MATTH. 4.

18. Περιπατῶν δὲ ὁ Ἰησοῦς παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, εἶδε δύο ἀδελφούς, Σίμωνα τὸν λεγόμενον
Harm. Tom. I.

18. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilee, vidit duos fratres, Simonem, qui vocabatur
Cc Πέτρος

Πέτρον, καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, βάλλον-
τας ἀμφίβλητρον ἐς τὴν θάλασσαν, (ἦσαν γὰρ ἀ-
λιεῖς.)

19. Καὶ λέγει αὐτοῖς· δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἀλιεῖς ἀνθρώπων.
20. Οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίκτυα, ἠκολούθησαν αὐτῷ.
21. Καὶ πρὸς ἐκεῖθεν, εἶδεν ἄλλους δύο ἀδελφούς, Ἰακώβον τὸν υἱὸν Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἐν τῷ πλοίῳ μετὰ Ζεβεδαίου πατρὸς αὐτῶν, καταρτίζοντας τὰ δίκτυα αὐτῶν. καὶ ἐκάλεσεν αὐτούς.
22. Οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες τὸ πλοῖον καὶ τὸν πατέρα αὐτῶν, ἠκολούθησαν αὐτῷ.

Petrus, & Andream, fratrem ejus, jacentes rete in mare, (nam erant piscatores.)

19. Et dicit illis: sequimini me, & faciam vos piscatores hominum.
20. At illi relinxis illiō retibus secuti sunt illum.
21. Et progressus illinc, vidit alios duos fratres, Jacobum filium Zebedei, & Joannem fratrem ejus, in navi, cum Zebedeo patre suo, sarcientes retia sua, & vocavit eos.
22. At illi, protinus relicta navī & patre suo, secuti sunt eum.

MARC. I.

16. Περιπατῶν δὲ παρά τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, εἶδε Σίμωνα καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, βάλλοντας ἀμφίβλητρον ἐν τῇ θαλάσῃ (ἦσαν γὰρ ἀλιεῖς.)
17. Καὶ ἔπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς γενέσθαι ἀλιεῖς ἀνθρώπων.
18. Καὶ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίκτυα αὐτῶν, ἠκολούθησαν αὐτῷ.
19. Καὶ πρὸς ἐκεῖθεν ὀλίγον, εἶδεν Ἰακώβον τὸν υἱὸν Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἐν τῷ πλοίῳ καταρτίζοντας τὰ δίκτυα.
20. Καὶ εὐθέως ἐκάλεσεν αὐτούς, καὶ ἀφέντες τὸν πατέρα αὐτῶν Ζεβεδαίου ἐν τῷ πλοίῳ μετὰ τῶν μιθωτῶν, ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ.

16. Cum ambularet autem juxta mare Galilæe, vidit Simonem & Andream fratrem ejus, jacentes retia in mare, (erant enim piscatores.)
17. Et dixit illis Jesus: sequimini me, & faciam, ut efficiamini piscatores hominum.
18. At protinus relinxis retibus suis secuti sunt eum.
19. Et progressus illinc pusillum, vidit Jacobum filium Zebedei, & Johannem, fratrem ejus, qui & ipsi in navi reconcinnabant retia, statimque vocavit illos.
20. Et illi, relicto patre suo Zebedeo in nave cum mercenariis, secuti sunt eum.

LUC. 5.

1. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τῶν ὄχλων ἐπιπλοῦσαι αὐτῷ, καὶ ἀκούει τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτὸς ἦν ἐσὼς παρά τὴν λίμνην Γεννησαρέθ.
2. Καὶ εἶδε δύο πλοῖα ἐσῶτα παρά τὴν λίμνην· οἱ δὲ ἀλιεῖς ἀποκαίντες ἀπ' αὐτῶν ἀπέπλυναν τὰ δίκτυα.
3. Ἐμὲν δὲ εἰς ἐν τῶν πλοίων, ὃ ἦν τῷ Σίμωνι, ἠρώτησεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον. καὶ καθίσας ἐδίδασκεν ἐκ τῶν πλοίων τοὺς ὄχλους.
4. Ὡς δὲ ἐπαύλατο λαλῶν, ἔπεν πρὸς τὸν Σίμωνα· ἐπαναγάγε εἰς τὸ βῆθος, καὶ χαλάσατε τὰ δίκτυα ὑμῶν εἰς ἀγρῶν.
5. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Σίμων, ἔπεν αὐτῷ· ἐπιστάτα, δι' ἕλης τῆς νυκτὸς κοπιᾶσαντες οὐδὲν ἐλάβομεν· ἐπὶ δὲ τῷ ρηματί σου χαλάσω τὰ δίκτυα.
6. Καὶ ταῦτο ποιήσαντες συνέκλισαν πλοῖον ἰχθυῶν πᾶσι. διερρήγνυτο δὲ τὸ δίκτυον αὐτῶν.
7. Καὶ κατένευσαν τοῖς μετόχοις τοῖς ἐν τῷ ἑτέρῳ πλοίῳ, τὰ ἐλθόντας συλλαβεσθαι αὐτοῖς. καὶ ἦλθον, καὶ ἐπλησαν ἀμφότερα τὰ πλοῖα, ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά.
8. Ἴδων δὲ Σίμων Πέτρος, προσέπεσε τοῖς γόνασι τοῦ Ἰησοῦ, λέγων· ἐξέλθε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι ἄνη ἀμαρτωλὸς εἰμὶ Κυριε.
9. Θάμβησεν γὰρ πᾶν αὐτὸν, καὶ πάντας τὰς ἐν αὐτῷ, ἐπὶ τῇ ἀγρῇ τῶν ἰχθυῶν ἢ συνέλαβον.
10. Ὁμοίως δὲ καὶ Ἰακώβον καὶ Ἰωάννην υἱὸν Ζεβεδαίου, οἱ ἦσαν κοινωνοὶ τοῦ Σίμωνι. καὶ ἔπεν πρὸς τὸν Σίμωνα ὁ Ἰησοῦς· μή φοβῆ, ἀπὸ τῶν νῦν ἀνθρώπους ἐσθι ζῶγραν.
11. Καὶ καταγαγόντες τὰ πλοῖα ἐπὶ τὴν γῆν, ἀφέντες ἅπαντα ἠκολούθησαν αὐτῷ.

1. Factum est autem, cum turba immineret ei, ut audiret Verbum Dei. Et ipse stabat juxta stagnum Gennezareth.
2. Et vidit duas naves stantes ad stagnum: piscatores autem descenderant ex illis, & abluebant retia.
3. Ingressus autem in unam navim, que erat Simonis, rogavit eum, ut à terra abduceret pusillum, & sedens docebat de navī turbas.
4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in captivam.
5. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, tamen tuo jussu laxabo rete.
6. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum.
7. Et amoverunt sociis, qui erant in altera navi, ut venirent, & adjuvarent ipsos. Et venerunt, atque impleverunt ambas naves, ita ut mergerentur.
8. Quod cum videret Simon Petrus, accidit ad genua Jesu, dicens: Discede à me, Domine, quia homo peccator sum.
9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo fuerant, super captivum piscium, quem ceperant.
10. Similiter autem Jacobum & Johannem filios Zebedei, qui erant socii Simoni. Et ait ad Simonem Jesus: Ne metuas! posthac homines capies.
11. Et subductis in terram navibus relinxis omnibus secuti sunt eum.

De con-

De conciliatione & coagmentatione circumstantiarum hujus Historia ex tribus Evangelistis.

QUOD Matthæus & Marcus dicunt, Jesum ambulans juxta mare vidisse Simonem & Andream jacentes rete in mare: hoc quidam ita accipiunt, quod Jesus summo mane veniens ad mare, viderit duos illos adhuc sine fructu, sicut per totam noctem fecerant, retia jacentes, priusquam ex navibus subductis descenderent, & retia lavarent, Luc. 5. v. 2. Sed simpliciter est, si hæc ita accipiantur, quod Matthæus breviter dicat, Jesum vidisse ipsos rete jacentes. Quomodo vero hoc viderit, & quando illi rete jecerint, quod

Lucas hoc describat. Ita cum adhuc essent in navi, Jesus primum Petro dixit: Post hæc homines capies. Cum vero navem subduxissent ad terram, dixit utrique & Simoni & Andrea, ea, quæ Marcus & Matthæus scribunt. Interea vero Jacobus & Johannes in suam peculiarem stationem se receperunt. Jesus igitur in littore cum Petro & Andrea paululum progressus, in alia statione invenit duos illos sarcientes retia, & tunc demum illos vocavit.

HARMONIA HISTORIÆ DE MIRACULOSA CAPTURA PISCIVM, AC DE VOCATIONE PETRI, ANDRÆ, JACOBI, ET JOHANNIS: EX TRIUM EVANGELISTARVM DESCRIPTIONIBVS IN UNVM CORPVS COAGMENTATA, MATTH. 4. MARC. 1. LUC. 5.

ε περιπατών ἢ ὁ ἰησοῦς πρὸς τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, εἶδε δύο ἀδελφούς, Σίμωνα τὸν λεγόμενον Πέτρον, καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, βάλλοντας ἀμφὶ ἑλληνικῆς πλῆθους θάλασσαν, (ἦσαν γὰρ ἀλιεῖς.) c Εὐχέτο (γὰρ) ἐν τῷ τῶν ὄχλων ὑπηρετεῖν αὐτοῦ, ἔα κείνους τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτοὶ ἦν ἕως ἄρτι πρὸς τὴν λίμνην Γεννησαρέθ. Καὶ εἶδε δύο πλοῖα ἐστῶτα πρὸς τὴν λίμνην. Οἱ ἄλιεῖς διασκεύαντες ἀπὸ αὐτῶν ἀπέπλυνον τὰ δίχτυα. Ἐμβάς ἦ εἰς ἐν τῶν πλοίων ἢ ἦν Σίμων, ἠρώτησεν αὐτὸν, ὅπου τῆς γῆς ἐπιαναγαγῆν ὀλίγον, καὶ καθίσαι ἐδιδασκεῖν ἐκ τῶν πλοίων τοὺς ὄχλους. Ὡς ἡ ἐπαύσατο λαλῶν, εἶπε πρὸς τὸν Σίμωνα ἐπιαναγαγε εἰς τὸ βάλθη, καὶ χαλάσατε τὰ δίχτυα ὑμῶν εἰς ἄβυσσον. Καὶ διακριθεὶς ὁ Σίμων, εἶπεν αὐτῷ Ἐπιστάτα, δι' ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιῶσαντες ἔδει ἐλάττωμεν. Ὅτι ἡ τῶν ῥημάτων σου χαλάσει τὸ δίχτυον. Καὶ τοῦτο ποιεῖσάντες, συνέκλισαν ἀλλήλοισιν ἰχθύων πολὺν, διερχόμενοι τὸ δίχτυον αὐτῶν. Καὶ κατένευσαν τοῖς μετόχοις ἐν τῷ ἐτέρῳ πλοίῳ, ἔλθοντας συλλαβεσθαι αὐτοὺς καὶ ἄλλοι, καὶ ἐπλήσαν ἀμφότερα τὰ πλοῖα, ὡς εὐδιζέσθαι αὐτά. Ἰδὼν ἡ Σίμων Πέτρος, προσέειπε τοῖς γόνασι Ἰησοῦ, λέγων ἔβλεθε ἀπὸ ἐμῆ, ὅτι ἀνή ἀμαρτωλὸς εἰμι, κύριε. Θάμβησεν γὰρ περὶ αὐτοῦ, καὶ πάντας τῆς συνουσίας, ὅτι τῆ ἀρετῆς τῶν ἰχθυῶν συνελάθει. Ὁμοίως ἡ καὶ Ἰωάννης καὶ Ἰωάννης υἱὸς Ζεβεδαίου, οἱ ἦσαν κοινωνοὶ τῷ Σίμωνι. Καὶ εἶπε πρὸς τὸν Σίμωνα ὁ ἰησοῦς μὴ φοβῆσθαι, ὅτι ἐν ἀνθρώποις ἐστὶν ἡ ἀρετὴ. Καὶ καταγαγόντες τὰ πλοῖα ἐπὶ τῷ γῆ, εἶπεν αὐτοῖς (τῷ Σίμωνι καὶ τῷ Ἀνδρῆα,) ὁ ἰησοῦς, εἰ δευτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἰσχυροὺς ἀλιεῖς ἀνθρώπων. οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίχτυα, καὶ ἄπαντα, ἠκολούθησαν αὐτῷ. c Καὶ προσέειπεν ἑκείνῳ ὁ ἰησοῦς, εἰ δὲ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίχτυα, καὶ ἄπαντα, ἠκολούθησαν αὐτῷ. c καὶ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίχτυα αὐτῶν, b καὶ εὐθέως ἐκάλεισεν αὐτούς. a οἱ ἦ εὐθέως ἀφέντες τὸ πλοῖον, c καὶ τὸν πατέρα αὐτῶν, b Ζεβεδαῖον ἐν τῷ πλοίῳ τῶν μισθοῦν, ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ, a καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ.

c Ambulans autem Jesus juxta mare Galilee, vidit a duos fratres, Simonem qui vocabatur Petrus, & Andream fratrem ejus, jacentes retia in mare, (nam erant piscatores.) c Factum est, (enim) cum turba immineret ei, ut audiret Verbum Dei, et ipse stabat juxta stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes ad stagnum: piscatores autem descenderant ex illis, & abluebant retia. Ingressus autem in unam navim, que erat Simonis, rogavit eum, ut a terra abduceret pussillum, & sedens, docebat de navi turbas. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in operisuram. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: tamen tuo jussu laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et amuebant socii, qui erant in altera navi, ut venirent, & adjuvarent ipsos. Et venerunt, atque impleverunt ambas naves, ita ut morgerentur. Quod cum videret Simon Petrus, accidit ad genua JESU, dicens: Discede a me, Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo, fuerant, super capru piscium quem ceperant. Similiter autem Jacobum & Johannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem JESUS: Ne metuas! post hæc homines capies. Et subductis in terram navibus, c dixit illis (Simoni scilicet & Andrea,) b Jesus: c Segutimini me, & faciam, ut efficiamini piscatores hominum. Illi vero protinus relictis retibus c & omnibus, a secuti sunt eum. c Et progressus illinc b pussillum, c vidit a alios duos fratres e Jacobum filium Zebedæi, & Johannem fratrem ejus, b & ipsos e in navi a cum Zebedæo patre suo, c sarcientes retia sua, b statimque c vocavit eos. a At illi protinus relictâ navi, c & relicto patre suo b Zebedæo in navi cum mercenariis, abierunt post ipsum, a & secuti sunt eum.

Periocha hujus Historie.

MARE Galilee, cujus hoc loco Matthæus & Marcus meminerunt, idem est, quod Lucas vocat stagnum seu lacum Genesareth, quodque Johannis 6. v. 1. vocatur mare Tiberiadis. Ebraeis enim omnes collectiones aquarum aliquantò Harm. Tom. I.

maiores vocantur maria, Gen. 1. v. 10. Ne verò hoc loco mare magnum intelligatur, Lucas vocat λίμνην. Ebraei enim distincta habent vocabula יַרְדֵּן, significans torrentes in vallibus, qui ex pluviis colliguntur, & aliquando exsiccantur, Cc 1 Graci

Græci vocant χερμαρίσς, 2. נַרְיָא à limpitudine dicitur, & putant, esse rivum seu meatum ex majoribus fluminibus deductum, ad irrigandos agros. Græci Exod. 7. v. 19. & Jesa. 19. v. 6. reddiderunt διαρυγας. 3. Est נַרְיָא fluvius major & perennis, ut est Nilus, Euphrates, Genes. 2. v. 14. 15. v. 18. & 24. v. 10. Græci reddiderunt ποταμόν. 4. Est נַרְיָא, quod significat, copiam aquarum stantium, hoc est stagnum seu lacum λίμνην. Exod. 7. v. 19. & Psalm. 107. v. 35. reddiderunt ἕλην. 5. Generale est vocabulum נַרְיָא, & significat συσμήματα, congregationes aquarum, Gen. 1. v. 10. Exod. 7. v. 19. Postremum est נַרְיָא mare. Stagnum autem illud, de quo hæc historia loquitur, vocatur à Matthæo & Marco (mare Galilææ.) Inferiorem Galilæam, quæ simpliciter Galilæa vocatur, circa stagnum illud sita est. Lucas verò vocat (stagnum Genezareth.) Vetus ejus appellatio est כְּנֶרֶת Cinereth & Ceneroth. Græci Num. 34. v. 11. Jesa. 11. v. 2. & 12. v. 3. reddiderunt χερσῶν. Deut. 3. v. 17. χερσῶν, Josuæ 19. v. 35. Significat autem כְּנֶרֶת, (unde deductū est כְּנֶרֶת & Græcum, κυθρα) Cytharam instrumentum musicum. Et stagnum illud inde appellationem habet, ratione vel situs vel strepitus, vel dulcedinis, quod per multos flexuosos alveos cum jucundo strepitu Jordanis per hunc locum dilabatur, & aquas habeat dulces. Chaldæi alveos fluviorum ad lavandum accommodatos ita vocant, & כְּנֶרֶת exponunt pro lacu, per quem aut in quem multi canales transeunt & defluunt. Porro regio quædam in tribu Nephthalim, à parte septentrionali & occidentali adjacens huic lacui vocata fuit Cinereth, Josuæ 19. v. 35. & 1. Reg. 15. v. 20. Et vel lacus à regione, vel regio à lacu, nomen accepit. Illam verò regionem & lacum illum Chaldæus Paraphrastes, Josuæ 11. v. 2. Num. 34. v. 11. vocat נַרְיָא: Quæ vox Syriacè mutatis punctis vocalibus, ןַרְיָא scribitur & pronunciatur גֶּנֶזָרֶת, Genesar. Unde 1. Maccab. 11. v. 7. scribitur γενήσαρ. Atque ita etiam Josephus vocem illam scribit, de Bell. Judaic. libr. 3. c. 18. Et Plinius lib. 5. c. 15. dicit: Lacum illum plures Genesaram vocant. Egessippus accipit tanquam Græcum vocabulum, quod lacus ille crispantibus undis generet auram suavissimam, à verbo γενεαία, & à nomine ἀήρ. Nam & Josephus regiuncula illi tribuit mirificam ἐκχρυσίαν ἀέρος. Sed appellatio Chaldæa est, non Græca. Rabini dicunt נַרְיָא, compositum esse ex נַרְיָא (horti) ןַרְיָא pro ןַרְיָא (princeps) quasi horti principis, Ein Fürsten Garten oder eintheures Paradeis. Et sicut à generositate gigantes vocantur נַרְיָא, Proverb. 9. v. 18. ita à generosa præstantiâ, & regio illa & lacus nomen possunt habere. Evangelistæ scribunt χερσῶν, addita ultima syllaba ex antiqua appellatione Cinnereth. Atque ita etiam Ptolemæus & Strabo lacum illum vocant Genezareth. Josephus Antiquit. lib. 18. cap. 3. Græca inflexione vocat λίμνην γενήσαρτιδα lacum Genesariticum lib. 13. c. 10. vocat ὕδατα γενήσαρτα. Sunt, qui nomen hujus stagni cum appellatione civitatis Nazareth congruere existimant, ut sit נַרְיָא, valis virgultorum seu furculorum. Plinius enim dicit, Jordanem, ubi prima convallium sit occasio, in lacum se fundere; & Josephus regionem illam à mirifica arborum fertilitate & amœnitate cele-

brat. Ac bona sunt cogitationes, quod Jesus verus furculus stirpis Jessa & germen Davidis, in Nazareth civitate furculorum educatus, circa Genezareth, vallem furculorum ut plurimum ministerii sui tempore versatus sit. Sed cum Chaldæica & Syriaca scriptio, sicut ostendimus, hæc non conveniunt. Porro vocatur etiam stagnum illud mare Tyberiadis, Joh. 6. v. 1. & 21. v. 1. Josephus de bello Judaico lib. 4. cap. 27. vocat λίμνην τιβεριαν, stagnum Tiberienium. Antiquitas enim fuit civitas Cinereth in ripa occidentali ad oram septentrionalem lacui huic adjacens, Josuæ 19. v. 35. & 3. Reg. 15. v. 20. in cuius locum postea Capernaum ædificata fuit. Cum verò Herodes Tetrarcha in Tiberii amicitiam receptus esset, in ejus honorem ampliata Capernaum, novam extruxit civitatem, quam Tiberiada voluit vocari, unde & lacus, præcipue verò ripa illa civitati Tiberiadi adjacens nomen accepit, quod vocatur mare Tiberiadis. In loco enim antiquissima civitatis Cinnereth, postea Tiberiada ædificatam fuisset, testatur Hieronymus in locis Hebraicis, & in caput Ezechielis ultimum. Ad oram verò meridionalem, ubi Jordanis ex lacu Genezareth effluit, Taricheæ civitas, cujus apud Josephum frequens est mentio, in loco Bethsaida, sicut postea dicemus, extructa fuit, unde pars meridionalis fuit appellata lacus Taricheus vel Tarichearum apud Plinium. A magnificentia videtur nomen habere. Nam ædes augustæ vel basilicæ Chaldæis vocantur שַׁרְבִּיטָא. Unde & Tarquinius dictus fuit. Quod si appellatio Græca est, Etymologia ostendit, dictam à conditura seu salsa piscium. Quia enim lacus ille pisces in magna copia suppetebat, sale ibi condiebantur, ut ad alia etiam loca ferri possent. Postremo, quando absolute nominatur mare, apud Evangelistas, plerumque intelligitur hoc stagnum Genezareth, ut Matth. 17. v. ult. & alibi. Quia circa illud Christus ut plurimum versatus fuit. Aliàs ut Josuæ 11. v. 2. quando absolute nominatur mare, intelligitur mare mediterraneum, quod alibi vocatur mare magnum. Num. 34. v. 5. 6. 7. Deuter. 11. v. 4. vel novissimum & falsissimum, Num. 34. v. 3. 12. vel occidentale, Deuter. 11. v. 24. Longitudinem autem stagni Genezareth à Septentrione versus Meridiem, Plinius libr. 5. cap. 15. tradit, esse sedecim millia passuum, latitudinem sex mille passuum. Josephus de Bello libr. 3. cap. 18. scribit, lacum illum patere in longitudine centum stadiis, in latitudine 40. stadiis. Hæc de mari Genezareth, circa quod valde multa à Christo sunt gesta, hoc loco annotare volui. De regionibus verò & civitatibus, utrinque lacui huic adjacentibus, suis postea locis plura notanda erunt.

Sed accedamus ad explicationem circumstantiarum hujus historiae. Cum igitur Jesus in synagoga Capernaitarum non semel, sed per aliquot Sabbata docuisset: hoc enim est, quod Luas cap. 4. v. 31. inquit, ἐν τοῖς σάββασι: populus ita accensus fuit desiderio audiendi Verbi Dei, ut aliis etiam profectis diebus convenirent, ubicunque extra synagogam sciebant Jesum ipsum versari. Cum enim die quodam, quando non erat Sab-

batum

batum, (id quod ex piscatorum laboribus colligitur,) juxta mare Galilææ, quod Lucas vocat stagnum Genezareth, deambulare, sive orationis gratia, sive ut à docendi laboribus se colligeret, sive captans docendi opportunitatem, magna hominum turba, partim versans in littore illo, partim urbe effusa, ipsum secuta est. Utitur autem Lucas verbo *ἰπικέδαι*. Quia enim homines illi non ex curiositate videndi ipsum, sed ardenti desiderio audiendi Verbum Dei, ipsum sequebantur, ut quisque docenti proximus esse volebat, ita alterum propellebat, ut jam urgentes quasi incumbere Christo, tanto frequentis turbæ impetu, ut periculum esset, ne ex littore in stagnum proturbaretur. Et quia non venerat, ut eo tempore exinanitionis potentiam & majestatem suam, præter vocationem, ostendat, ne igitur Deum tentaret, navem conscendit. Adeo prompta est ejus benignitas quærentibus ipsum. Duæ enim naviculæ in illa parte littoris, in diversis, sicut Matthæus notat, stationibus, stabant; quarum alteram Petri & Andrea fuisse, certum est; alteram vero, Lucas postea dicit, sociorum Simonis, Jacobi scilicet & Johannis, fuisse. Et piscatores, qui per totam noctem laborarant, navigiis egressi, retia lavabant, ut ea ad ærem suspenderent, ut, qui illo die de captura spem omnem abjecerant. Et hinc colligitur, manè hoc factum esse. Cum igitur naviculæ non essent ordinariis piscatorum laboribus occupatæ, Jesus ingressus est illam, quæ Simonis erat. Hujus enim consuetudine ante annum & amplius uti cœperat, Johan. 1. v. 42. Et tamen non voluit Petri naviculâ suo arbitrio, sine consensu & voluntate domini uti, nec imperavit ipsi, sed rogavit, ut eam modico intervallo à terra subduceret, ut turba in littore circumstantans commodius posset verba docentis excipere. Et ita in navi sedens turbis in littore stantibus Verbum Dei exposuit. Quæ verò fuerit & sententia & summa, & hujus, & aliarum concionum, in duobus præcedentibus Harmoniæ capitibus explicatum est. Ideo Lucas tantum nominat Verbum Dei, & descriptionem concionis omittit. Non autem Jesus voluit prolixitate obruere, vel perturbare discentium ingenia, sed cum ea doctrinæ capita, quæ existimabat à simplicioribus posse retineri, breviter exposuisset, finem fecit docendi, inquit Lucas. Mox verò finita concione, priusquam ex navi descendat, accinxit se ad edendum miraculum, quo doctrina, in concione illa exposita, confirmaretur, ne dubitarent, ipsum à Deo venisse Doctorem, sicut Nicodemus inquit. Atque ideo tota descriptio miraculi ita accipienda est, ut turbæ, quæ auditores fuerant Verbi, facti etiam fuerint testes, & spectatores eorum, quæ in hoc miraculo acciderunt. Dicit igitur Petro: (*Duc navem eis βάθου,*) super profunditatem maris, (& expandite retia vestra in captivam.) Lucas duobus in hac historia utitur verbis, *κατάγειν*, quod significat, navem ex alto ad littus subducere; & *ἀνάγειν*, quod significat solvere, & naves ex littore in altum deducere. Quia verò paulò antè ad littus venerant, additur præpositio *ἔπι* ἐπανάγειν, ut significet, rursus in altum ducere. Verbum *χαλάειν* est laxare, expandere: propriè verò signifi-

Harm. Tom. I.

cat catenulis aut funibus aliquid demittere. Ita Græci interpretes usurpant Iosua 2. v. 15. usurpatur etiam Marci 2. v. 4. Actor. 9. v. 25. & 27. v. 30. Iubet igitur Christus, ut retia projiciant, & funibus in profundum demittant. Ideo Matthæus & Marcus utuntur verbo *βάλλειν*. Retia Lucas vocat *δικτυα*, reliqui *ἀμφίβληστρα*. Habent autem Ebræi varia vocabula, quibus piscatorum retia appellant, quæ Græci per hæc tria plerunque reddunt: *δικτυον*, *ἀμφίβληστρον*, & *σαγήνην*. Et Etymologia *ἑ ἀμφίβληστρον* manifesta est, quod scilicet magnum spacium, quando expanditur, circumplectatur, & undique pisces concludat. Ideo Græci interpretes de ipsa piscatione utuntur verbo *ἀμφιβάλλειν*, Abacuc 1. versu 15. Et piscatores vocantur *ἀμφίβολοι*, Esaia c. 19. v. 8. Lucas etiam ad Etymologiam alludere videtur, cum inquit: *Concluserunt piscium multitudinem. Σαγήνη* significat minora retia. Propriè enim dicitur de sinu retis, in quem capti pisces deveniunt. *Δίχτυον* generale est: Et Matthæus videtur differentiam ostendere. Nominat enim *ἀμφίβληστρον* in singulari, & mox inquit: Relinquentes retia *δικτυα*. Unum igitur *ἀμφίβληστρον* ex multis plagis (sicut appellantur *δίχτυα*) compositum fuisse videtur, quæ appellantur *δίχτυα*. Hæc de vocabulis.

Ne verò captura hæc piscium physica ratione cogitetur facta fuisse, Petrus circumstante turba sonora voce protestatur: conditionem omnino non esse idoneam, sive temporis sive maris, ad capturam piscium. Se enim cum sociis ad prudentiam & industriam piscatoriam nihil fecisse reliqui. Tempus siquidem noctis propter tranquillitatem & obscuritatem electum fuisse, & non partem aliquam noctis, sed totam noctem, non perfunctoriè, sed ad defatigationem usque, laboratum fuisse, (ita enim Græci interpretes usurpant verbum *κοπιᾶζειν*, Iosua 24. v. 13. & 2. Regum 23. v. 10.) & tamen se nihil quicquam potuisse capere. Simul autem tacitè notat, mandatum Christi contra regulas (ut ita dicam) piscatorias pugnare: appetente enim meridie (nam manè erat, cum levarent retia, & concioni aliquot horæ tribuendæ sunt) jubet projici retia, & quidem ubi mare est altissimum, hoc est, profundissimum. Hoc enim significat *τὸ βάθος*. Præmissa hac protestatione Petrus addit: sed tamen ne videar verbum tuum contemnere, aut mandato tuo refragari, (*in verbo tuo*,) hoc est, ex mandati obedientia, & fiducia verbi tui, quia tu dicis & jubes, (*laxabo rete*.) Annus enim & amplius jam erat, ex quo Petrus cœperat verbum Christi audire, Ioh. 1. v. 41. Viderat etiam multas demonstrationes, virtutes, & efficacias hujus verbi, ideo inquit, (*in verbo tuo*, &c.) Et utitur compellatione, quæ huic sententiæ pulcherrimè convenit. Vocat enim Christum *Ἰησοῦν*, qua voce solus Lucas aliquoties utitur, ubi reliqui Evangelistæ dicunt (*Rabbi*.) Et Syrus hoc etiam loco reddidit *ܪܒܝܝܢܝܘܫܘܥ*. Idem igitur significare, non est dubium. Usitatum autem est hoc vocabulum apud Græcos interpretes. Exod. 5. v. 13. respondet Hebraico *נָגַשׁ* Nagasch, & significat angariatores seu exactores operarum, quos Græci vocant *ἐργασιακταις*. Item 3. Reg. 5. v. 16. respondet *קָדַח* Radah, quod significat jus habere, & dominium

Cc 3

nium

nium usurpare in aliquem. Sed 4. Reg. ult. v. 19. significat eum, cui administratio aliqua commissa est: respondet enim Ebraico פדק Padik. Et in communi lingua Græca significat eum, qui cum imperio præest, & habet jus mandandi. Lucas igitur hoc loco propriè usus est hoc vocabulo. Quia tu es *ἐπιστάτης*, hoc est, quia habes jus mandandi, & administratio Ecclesiæ tibi ut Messia commissa est: in verbo itaque tuo, &c. Hoc colloquium Christi & Petri idèò præmittitur, ut spectatorum animi erigantur in expectationem, quid futurum sit, utque sequens captura piscium agnoscat esse miraculum, ne tribuatur causis phycis.

Ipsam verò miraculum ita describitur. Cum illi, qui in Petri navicula erant, navem in profundum deduxissent, & retia, sicut ad capturam fieri solet & debet, laxassent: (licet enim promissionem benedictionis, imò licet ipsum Christum præsentem Petrus habeat, media tamen laboris & industria non negligit) concluderunt magnam multitudinem piscium. Atq; ita Christus gloriam Divinitatis suæ, quodque Messias esset, ostendere voluit. Scriptum enim est Ps. 8. v. 8. Omnia subiectioni sub pedibus ejus, pisces maris, qui perambulant semitas maris. Quod benè notetur. Cum verò rete extraherent, magna illa copia piscium, sentiens se conclusam, tanto impetu elabendi viam per rete quæsivit, ut illud inciperet rumpi. Ne igitur vel totum rete rumperetur, vel pisces omnes elaberentur, socios suos, qui in altera navi in littore adhuc erant, nutu & gestibus advocarunt. Lucas vocat & μετοχῆς & κοινωδῆς. Syrus reddidit שותפים, confortes, qui societatem inierunt, & commercium habebant cum Simone: Item שותף, socius, collega. Et Lucas eleganti verbo συλλαβῆσαι descripsit, quo artificio rete, quod ceperat rumpi, ita extraxerint, ne vel rete perderetur, vel pisces elaberentur. Funibus enim, quibus retia annexa sunt, plures focii manus ita admoverunt, ut sensim & simul trahendo, & captos pisces & retia servarent: ita tamen ut agnoscerent, non suo artificio, sed miraculo & potentia Christi, hoc factum esse, quod in reti rupto tanta piscium copia detenta manserit. Colligentes autem pisces ex reti impleverunt utramq; navim, ita ut sine periculo merfionis vix ad littus possent deduci. Quod enim Lucas habet, (*ita ut mergerentur.*) hoc Syrus ita reddidit: in propinquo seu proximo erant, ut mergerentur. Non autem fuerunt angustæ naviculae: in altera enim fuerunt Iacobus, Johannes, parens Zebedæus, & præterea aliquot mercenarii, Marc. 1. v. 20. Fuisse igitur non exiguam harum navium capacitatem, hinc colligitur. Videns autem Petrus, cum illis qui in utraq; navi erant, quòd in hac captura piscium multa stupenda acciderent: 1. Quòd repente tantam multitudinem piscium conclusissent, eum antea per totam noctem laborantes, ne unicum quidem capere potuissent: 2. Quòd rete ruptum, tamen retinebat tantam copiam piscium. 3. Quòd naves, quæ nimium oneratae mergebantur quidem, non tamen submergebantur: Stupor itaq; omnes undiq; occupatos circumdederat & tenebat. Ita enim Græci usurpant verbum *ἐπιπέσει*, Pf. 18. v. 5. 2. Reg. 22. 5. Funes mortis circumplexi sunt me. Et Petrus, illo stupore attonitus,

venerabundus procidit ad genua Jesu exclamans: (*Exi à me: quia vir peccator sum, Domine.*) Hac vox Petri ut rectè intelligatur, consideretur, quæ cogitationes illam Petro expresserint. Non enim voluit Dominum à se rejicere, sicut Gadareni, Matt. 8. v. 34. nec ipsum deserere, sicut Capernaïta, Joh. 6. v. 66. procidit enim ad genua ejus: Sed cum ex miraculo, Christi dignitatem, imò Divinitatem ejus, quem in navi sua vehebat, agnosceret: ex vehementiori admiratione divinæ illius virtutis quasi in stuporem abreptus fuit. Considerans enim è contra suam indignitatem, quodq; multis peccatorum sordibus pollutus esset, dicit: (*Exi à me, Domine.*) 1. Quia iudicat, se indignum confortio & præsentia Christi. 2. Quia metuit, ne, ob indignitatis suæ cum divina Christi majestate commercium, vindicta de peccatis suis sumeretur à Deo, sicut Sareptana vidua inquit ad Eliam, 3. Reg. 17. v. 18. Ingressus es ad me, vir Dei, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum: quia scilicet non ita me gessisti, sicut decebat, erga virum Dei. Et sicut Iud. 13. v. 22. Manoah exclamat: Moriemur, quia vidimus Dominum. Conscientia enim perterrefacta, oblita Mediatoris, existimat, Deum ut Judicem adesse. Ac cogitat Petrus, justis tantum locum esse apud Christum, quiratione divinitatis peccatoribus sit ignis consumens. Christus verò respondet: (*Ne timeas!*) veni enim, ut homines à peccatis reti Evangelii ad me traham & vivificem, & ad hoc ministerio tuo usus sum. Ita magnitudo successus, quæ alios elatior reddidisset, Petrum humiliorem & modestiorem fecit. Sed de hac sententia mox plura dicenda erunt. Hæc igitur est enarratio circumstantiarum hujus miraculi: in quibus hoc observandum est, quòd in omnibus illis, quæ acciderunt, Christus ipse in Petri navicula præsens fuit.

Doctrina autem, & usus hujus miraculi, tribus potissimum modis potest tractari. Nos pro instituti nostri ratione summaria tantum capita annotabimus.

Primò, hoc miraculum sequitur statim post habitam concionem, non tantum ut sit confirmatio & obsignatio veritatis & certitudinis doctrinæ Christi: sed præcipuè, ut ostendat, post perceptam doctrinam primam & potissimam curam esse debere, ut exerceatur & ad usum transferatur. In Petro autem exemplum hujus exercitii auditoribus proponitur. Ille enim inter primos auditores Christi fuerat, Joh. 1. 42. Sicut autem duplex est vita, externa & spiritualis: ita duplex exercitium fidei in hac historia describitur. Cumque doctrina Christi tradat de agnitione peccati, & de fiducia concipienda erga Deum propter Mediatorem, & de nova obedientia juxta verbum: Petrus usum & exercitium posterioris particulae rectè apprehendit, inquit: Licet totam noctem frustra laboravi, tamen in verbo tuo laxabo rete. Ubi verò flagitatur usus prioris partis, pœnitentiæ scilicet & fidei: ibi Petrus errat; Dicit enim, sicut Syrus reddidit: Peto abs te, mi Domine, recede, disjunge te à me: quia vir peccator sum. Cum tamen extra tentationes nihil facilius esse putetur, quàm doctrina pœnitentiæ & fidei: Sed Christus ostendit, Petrum, qui

qui dicere potest: (*In verbo tuo laxabo, &c.*) ubi stupore occupatur in tentatione, quæ tamen non est iræ, sed (ut ita appellem) gratiæ, verum usum poenitentia & fidei profusus amittere. Excidit enim ipsi stulta, imò fidei contraria, vox: Quia peccator sum, idè exi à me, Domine Jesu. Multa autem hæc doctrina complectitur. Quia enim Pharisaicis opinionibus hominum animi ita erant imbuti, ut doctrinam de spiritualibus Messia beneficiis non magnificerent: Christus in luculento hoc Petri exemplo auditoribus suis ostendere voluit, quare opus sit hæc doctrina de beneficiis Messia. Humana enim natura, peccato depravata, sine Mediatore non tantum Deum irascentem & punientem non potest sustinere, sed in tentationibus & in sensu peccati ne tunc quidem potest eum ferre, quando ingentibus beneficiis præsentiam & bonitatem suam testatur. Semper enim obstrepit vox Legis: Est quidem bonus Deus, sed non peccatoribus. Natura igitur sine agnitione & fiducia Mediatoris perpetua hæc vox est: (*Exi à me, Domine, quia homo peccator sum.*) Sicut post lapsum Adam audita voce Dei fugit, Gen. 3. v. 8. Ut igitur in tentationibus non fugiamus Deum, sed accessum ad ipsum habeamus, opus est doctrina Evangelii de beneficiis Mediatoris. Petrus enim, qui verbo Christi in piscatione obedierat, tamen in tentatione exclamavit: (*Exi à me, quia homo peccator sum.*) Ostendit etiam Christus hoc exemplo, quomodo ratio doctrinam Evangelii pervertat. Messiam scilicet esse Salvatorem, sed dignis. Item, consolationes Evangelii pertinere ad dignos. Ego verò, inquit, peccator sum: ergo exi à me. Ita doctrina poenitentia, sine vero intellectu & usu Evangelii, facit, ut peccator fugiat & Deum & ipsum Mediatorem Christum. Sine dubio autem summa concisionis Christi fuit doctrina de poenitentia & fide. Et Petrus cogitavit, se illam mediocriter intelligere: sed in servis exercitiis ostendit Christus, ipsum de usu planè nihil tenere, imò periculose errare, cum inquit: (*Exi à me, &c.*) Monstrat autem ipsi verum usum, cum respondet: (*Noli timere,*) hoc est, quando homines sentiunt peccatum & indignitatem suam, non debent fugere Christum Mediatorem, sed hoc est rete illud, quo homines capiuntur, & sub peccato concluduntur, ut ad Christum confugiant, & per ipsum accessum habeant ad Deum. Argumentationi enim Petri, quæ ex Lege sumta est: (*Homo peccator sum;*) Ergo (*Exi à me:*) Christus opponit hanc solutionem Evangelicam: (*Noli timere.*) Et loco confirmationis addit: usque adeò non averfor peccatores poenitentes, ut non per Angelos, sed per homines peccatores, qui Deo reconciliati sunt, velim reliquos homines capere ad conversionem & vitam æternam. Conferatur autem huc locus Joh. 6. v. 68. Petrus enim, post hanc tentationem & admonitionem, in schola Christi ita profecit, ut post annum non dicat: Exi à me, Domine: sed rogatus: Num & vos vultis abire? Responder: Quo ibimus, Domine? Verba vitæ æternæ habes. Hæc pluribus possunt illustrari, sed nos capita tantum annotamus.

Secundò, doctrina & usus hujus miraculi pulchrè potest etiam ad exercitia, externa, in negociis & laboribus hujus vitæ, accommodari. Statim enim

Harm. Tom. I.

à concione Christus jubet laxari retia. Ergò fides Verbi & pietas vitæ non pugnat cum negotiis & laboribus vocationum in hac externa vita. Imò voluit ostendere Christus, officinam pietatis non tantum esse in conventibus, ubi Verbum Dei prædicatur: verum etiam in mediis occupationibus & laboribus hujus vitæ, ea, quæ ex verbo discuntur, poenitentiam scilicet, fidem, & pietatem, debere & posse exerceri. Petrus enim licet antea in vocatione piscationis multas difficultates esset expertus: tamen jussus subjicit se obedientia verbi Christi, laxando rete. Fidem etiam in objecto externo exercet, cum inquit: (*per totam noctem nihil cepimus, in verbo autem tuo, &c.*) Et quod præcipue observandum est, simul in externo illo objecto deducitur ad exercitium fidei justificantis. Imò ostenditur in hoc exemplo, fidem, quæ circa externa objecta versatur, non posse consistere, nisi habeat adjunctam, imò prælucentem, fidem, quæ apprehendit spirituales promissionem gratiæ & remissionis peccatorum. Petrus enim, qui antea ex fide dixerat: (*In verbo tuo laxabo, &c.*) mox exclamat: (*Exi à me, Domine: Quia homo peccator sum.*) Monstrat etiam exercitium poenitentia in ipsis piscationis laboribus, cum inquit: (*Homo peccator sum.*) Et tota doctrina de laboribus, in quacunque vocatione, in circumstantiis hujus historia pulchrè comprehenditur. Petrus enim antea habuit legitimam vocationem piscationis, non fuit impius, (fuerat enim auditor Christi) non fuit otiosus, sed in laboribus vocationis suæ eam adhibuit prudentiam, industriam, & diligentiam, quæ requirebatur: & tamen cum per totam noctem ad defatigationem usq; laborasset, nihil cepit. Sæpè igitur etiam piis successus in laboribus vocationis denegatur, certo, non tamen malo consilio Dei. Quando enim Petrus nihil cepit, non accipiendum fuit, quasi vel Deus irasceret ipsi: statim enim cum levaret retia, Christus ad ipsum venit: vel quasi impia esset vocatione piscationis: nec, quasi Deus non curaret fidem & pietatem Petri. Imò idè denegatus fuit ipsi successus, ut esset occasio, qua dona hæc auferentur, sicut historia ostendit. Petrus igitur cum sine successu frustra laborasset, non ex impatientia murmurat contra DEUM, non abjicit vocationem, non cogitat de illicitis & impiis mediis. Sed Christus accedens ostendit ipsi viam & rationem, quomodo difficultatibus, quæ in cujusque vocatione objiciuntur, pie consuli possit. Navim enim suam, licet nihil cepisset, Christo concionaturo, cum id peteret, commodat, & post infelicem piscationem audit Verbum Dei: quod, cum audiisset, vocationem piscationis, propter fortunam iniquiorem, non deserit, sed in ea, quia Verbum Dei habet, pergit. Et sanè humano modo non videt spem aliquam successus: tamen quia verbum Christi de suis laboribus habet, obedientia & fiducia hujus verbi, contra spem in spem rete laxat. Et utilis est doctrina, ut in difficultatibus & impedimentis, quæ in vocatione objiciuntur, proponamus nobis 1. Verbum Dei de vocatione nostra; 2. Mandatum Dei de laboribus vocationis. 3. Promissionem de benedictione & auxilio Dei. Atque ita præmissa invocatione pergamus in vocatione.

Cc 4

Habet

Habet autem Petrus ipsum Christum secum in navi, quod summum & præcipuum est, de quo quisque in sua vocatione sollicitus esse debet. Habens autem Verbum Dei, & ipsum Christum secum navi ferens, de industria tamen & labore nihil remittit, sed rete projicit & extrahit. Cumque inciperet rumpi, innuit sociis, ut prudentia quadam ita extrahatur, ne pisces conclusi amittantur. Fides enim non excludit industriam & diligentiam laboris. Notandum etiam hoc, quod Petrus pro eo, quod Christo concionaturo naviculam suam commodat, accepit illustre præmium capturam illam piscium. In successu verò qualis gratitudo Deo sit præstanda, hoc Petri exemplum venustè ostendit. Non enim sua hoc tribuit industria, vel dignitati, sed agnoscit & fateatur se indignum. Ita enim Ambrosius & alii quidam accipiunt verba Petri: (*Exi à me, Domine, &c.*) Ut sit vox humiliantis se, sicut Centurio inquit: Non sum dignus, ut intres, &c. Porro observanda est & hæc pictura, quomodo in medio etiam successu variæ obijciantur difficultates, propter quas etiam in optima fortuna opus sit præsentia, bonitate, & auxilio Filii Dei. Cum enim conclusa esset copiosa multitudo piscium, rete incipit rumpi. Atque ita, nisi Christus adesset, non tantum offensa fortuna amitteretur, sed etiam præterea novum damnum corruptione retis emergeret. In ipsa verò possessione fortunæ, ubi pisces jam in naves expositi sunt, aliud obijcitur discrimen. Navicula enim fluctibus maris jactatur, & pondere fortunæ pressa minatur submersionem. Sed quia unà cum piscibus etiam Christum vehit, ad portum ex variis jactationibus deducitur. In ipso verò portu Christus jubet, ut relictis omnibus se sequantur. Ut ita discant illud Jobi apophthegma: Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Hæ circumstantiæ ad periodos negociorum & successuum in laboribus externis pulcrè accommodari possunt.

Tertiò, Christus ipse in fine ostendit, quomodo explicanda & accommodanda sit hæc historia. Inquit enim: (*faciam vos piscatores hominum.*) Et, (*Posthac homines capies.*) Usitatum enim est Christo, à rebus externis seu corporalibus, quas tempus & locus offerebant, occasionem sumere docendi de spiritualibus mysteriis. Ut de aqua Samaritanæ, Johan. 4. v. 10. ita hoc loco à piscatione sumit occasionem, sub allegoria, de ministerio docendi Evangelii. Et sicut per miraculum stellæ Magos, ita per miraculam capturam piscium piscatores ad se trahit. Est enim dispensatio Dei, unumquodque, per ea, quæ sibi propria & peculiariter sunt, ad se invitare. Proposita igitur est in hac historia imago functionis Apostolicæ, depingens, quæ in illa sunt difficultates, & unde pendeat spes successus. Altum enim & profundum est mare hujus sæculi, in cujus limo homines, ministerio Evangelii capiendi, defixi sunt: majoribus piscibus devorantibus minores. Multa nocentia monstra mare illud alit: sævis procellis turbatur: navicula est parva: rete infirmum: rumpitur enim, & piscator inquit: (*Ego homo peccator sum.*) Item, (*Totam noctem laborando nihil cepimus.*) Hæ circumstantiæ si colligantur, hæc tria in functione Apostolica inter se opponunt: 1. Magnitudinem ministerii. 2. Ministrorum indignitatem & insufficien-

tiam. 3. Mundi malitiam, & diaboli tyrannidem. Unde cursus & successus Evangelii sæpè impeditur, ut laborando totam noctem nihil capiatur. Et his cogitationibus Petrus ita absterretur, ut exclamet: (*Exi à me, Domine,*) cum illa ratione, (*quia homo peccator sum, & totam noctem laborando nihil cepimus.*) Hoc est, sicut Paulus 2. Cor. 2. v. 16. Quis ad hæc idoneus est? His verò difficultatibus duo opponuntur: Primum, quod Christus dicit: (*Ego faciam, ut sitis piscatores hominum,*) sicut Marci verba sonant, hoc est, Filius Dei virtute & efficacia sua adest ministerio, ut labor noster non sit inanis in Domino, 1. Cor. 15. v. ult. Et sicut hoc loco Petrus magnam multitudinem piscium concludit: ita postea Actor. 2. v. 41. una concione tria hominum millia convertit. Christus enim præsens est in illa navi, quæ vehit piscatores hominum. Et hæc ipsa captura piscium ostendit successum futuri ministerii, se daturum scilicet gratiam & successum, ut magna multitudo hominum reti Evangelico concludatur. Ideò inquit: Ne timeas, Petre, propter considerationem difficultatum: Ego enim faciam, ut homines capias. Secundum, quod difficultatibus opponendum est, comprehenditur in illis verbis Petri: Homo peccator sum, & nihil cepi: (*In verbo tuo autem laxabo rete.*) Voluit igitur Christus Apostolos, priusquam eos vocaret, hoc miraculo præmunire adversus difficultates, quas videbat in ministerio orituras, ne animis frangerentur, sed certa spe successus functionem, ad quam vocandi erant, forti animo obirent.

Præterea singulæ circumstantiæ hujus historiæ continent imaginem functionis Ecclesiasticæ. Auditores stant in littore: concionator verò impellitur, ut cogatur navem conscendere, & inter jactationes fluctuum maris vocem Verbi Dei sonat. Et Matth. cap. 13. v. 47. totum ministerium Evangelii comparatur reti, quod ex prædicatione Legis & Evangelii, variis sententiis & exemplis scripturæ, contextum in profundum mare projicitur, ut pisces vagantes concludat, & extrahat. Et hæc allegoria commendatur ministerio indefessum studium quam plurimos Christo lucrandi. Sicut piscatores in omnes partes flexus & recessus lacuum explorant, mille artes tentant, labores & pericula non defugiunt, frustra etiam laborantes non abstant, &c. Nec sanè commodior potest excogitari comparatio, quod mundus mari, homines piscibus in limo maris, Evangelium reti, comparatur. Sicut Hieronymus huc illud Jerem. 16. v. 16. accommodat: Ecce, mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos. Concluserunt enim Dominus omnia sub peccatum, ut omnium misereatur, Rom. 11. vers. 32. Gal. 3. v. 22. Multi verò pisces caput in limum profundi ita defigunt, ut comprehensionem retis eludant. Sunt præterea magna monstra in hoc mari, quæ, ubi senserint, se reti ministerii conclusa esse, perfringunt & rumpunt rete. Quidem verò pisces ita sunt lubrici, ut etiam quando conclusi sunt, quarant rimam elabendi. Sæpè & hoc fit, quod ex piscibus in navim collectis quidam rursus in mare exiliant. Hæc venustissimè accommodari possunt ad Ministerium Verbi. Res autem manifesta est: ideò non addam pleniorè explicationem.

Est & hæc imago consideranda, quomodo Deus in infirmitate potentiam suam perficiat. Rete enim rumpitur, & tamen illo rupto reti pisces retinentur, ut Ecclesia Judæorum non possit omnes credentes capere, sed amba navicula, hoc est, Ecclesia ex Judæis & Gentibus collecta (in altera enim navi mercenarii erant, Marc. i. v. 20.) impleantur. Item rete ruptum refarciendum est. Non enim tantum proponendum est Verbum, sed quando illud vel ab hæreticis vel à malè viventibus pervertitur & depravatur, refutatione pravæ opinionum, & confirmatione veritatis sarcinandum est. Et labor sarcinandi hoc rete Johanni tribuitur, qui post mortem reliquorum Apostolorum variis erroneis opinionibus & perversationibus se opposuit, sicut in Epistolis ipsius & Apocalypsi patet. Ipsa etiam navicula, in qua pisces collecti sunt, refert imaginem Ecclesiæ collectæ voce Evangelii, quæ fluctibus obruitur, & quasi submergenda apparet. Sed quia Christum habet præsentem, inter tot submersionis pericula tandem in portum deducitur.

Observandum etiam est vocabulum, quo Christus utitur, cum inquit: (*Posthac homines capies.*) De captura enim piscium antea aliis usus est vocabulis. Jam verò usurpat verbum *ῥαγείας*, ut ostendat homines ministerio Verbi concludi sub peccatum: non ut in mortem æternam præcipitentur, sed ut à morte liberati ad vitam æternam perducantur. *ῥαγείας* enim non simpliciter significat capere, sed captivum à cæde conservare, ut redemptione *λύσις* liberari, & in vita conservari possit. Græci interpretes, Jos. 2. v. 13. Num. 1. v. 18. Deut. 20. v. 16. ita reddiderunt Ebraicum verbum *חַיִּים*, quod significat captivos, in quos jus vitæ & necis habeas, non interficere, sed vitam ipsis donare. Deut. 2. vers. 34. reliquas, quæ post editam stragem conservantur, vocant *ῥαγείας*. Et Num. 31. vers. ultim. ubi populus ad interfectionem delictus scribitur, usurpatur hæc phrasid: Percusserunt populum, donec non superesset *ῥαγείας*. Syrus hoc loco textum ita reddidit: (*Capies homines ad vitam.*) Hæc significatio pulcherrimè potest accommodari ad ministerium Legis & Evangelii.

Hæc de explicatione circumstantiarum, & de doctrina hujus miraculi dicta sint. Superest pars historiae de vocatione quatuor Apostolorum, quæ & brevis & plana est. Nos ordinem tantum notabimus. Joh. i. v. 39. Petrus & Johannes generali vocatione, quæ communis est omnibus credentibus, ad fidem & agnitionem Christi adducuntur. Et quia generalis illa vocatio in communi genere vitæ nihil mutat, nec requirit, ut relictis communis vocationis laboribus, per omnia loca semper sectetur Christum: ideo cum mediocriter instituti essent Simon & Andreas in doctrina Evangelii, reversi fuerunt ad suum officium piscationis. Et credibile sanè est, hos discipulos commutatos tunc esse Jesum ad nuptias in Cana. Et Joh. 2. v. 12. dicitur, ipsum cum discipulis descendisse Capernaum. Fieri etiam potest, ut cum ipso ascenderint Hierosolymam, Johan. 2. vers. 13. Et Johan. 4. v. 2. scribitur, Jesus in Judæa per ministerium discipulorum baptizasse. An verò inter illos etiam Petrus & Andras fuerint, non velim asse-

verare. Tunc enim tantum habuerunt generalem vocationem ad fidem: specialem verò vocationem ad discipulatum, hoc est, ut perpetuò sectentur Christum, jam primum accipiunt. Et Christum alios habuisse sectatores seu discipulos ante vocationem Petri & reliquorum, manifestum est, Joh. 1. v. 37. & 43. Philippo enim dicit: Sequere me. Et duo alii sequuntur ipsum. De illis igitur, qui jam vocati erant, ut essent discipuli & sectatores, intelligendum est quod Joh. 4. v. 2. scribitur. Et hoc exemplum Petri pertinet ad doctrinam de vocatione. Acceperat enim promissionem, Johan. 1. v. 42. Tu vocaberis Petrus. Sed sine speciali vocatione noluit se ingerere ministerio, sed officio pristinae suæ vocationis operam dedit, & specialem vocationem, cujus promissionem jam acceperat, expectavit. Prior autem generalis illa vocatio, Joh. 1. v. 39. & 43. facta fuit post exactos 40. dies in deserto. Supputatio igitur ostendit, post annum integrum fermè, secutam esse hanc, de qua nunc loquimur, specialem vocationem. Est igitur hæc non generalis vocatio, sicut omnes credentes vocantur ad auditum Verbi, ad pœnitentiam, fidem, & pietatem. Talis enim vocatio non requirit, ut omnia relinquuntur: sed potest quis simul officium suum exercere, sicut Petrus hæctenus fecit. Sed hæc est specialis vocatio ad hoc, ut sint individui comites peregrinationum Christi, semper ipsi adsint, auditores concionum, & spectatores miraculorum, hoc est, ut sint discipuli & sectatores ejus, ab ipso quasi domestica institutione informandi ad munus docendi. Hebraismus enim, ire sive ambulare post aliquem, significat, imperium, doctrinam aut religionem alicujus sequi, 2. Reg. 20. v. 2. de defectione à Davide ad Sebam. Jerem. 2. vers. 23. Post Baalim non ambulavi. Ose. 11. v. 10. Post Dominum ambulabunt. Et usurpatur quidem aliquando generaliter de omnibus credentibus, Matth. 16. v. 24. Luc. 14. v. 27. Qui vult post me venire, tollat crucem, &c. Joh. 12. v. 19. Totus mundus post eum vadit. Hoc loco verò ad specialem sequelam restringitur. Inquit enim: (*Venite post me, & faciam, ut sitis piscatores hominum.*) Et hæc vocatio requirit, ut relictò pristino vivendi genere, & omnibus quæ ministerio impedimento esse possunt, toti se addicant iis, quæ ad hanc vocationem pertinent. Et quia ante annum Christum audierant, & videbant quosdam ita vocatos esse, ut relictis omnibus sectarentur Christum: Ideo & ipsi, eum audirent Christum vocantem: (*Venite post me, &c.*) statim relictis omnibus amplexi sunt hanc vocationem, facti perpetui & individui sectatores Christi. Unde & efficacia vocationis Christi, & simplex ac prompta obedientia discipulorum patet, quòd (*statim,*) hoc est, quòd nihil cunctati, nihil solliciti de eventu, nihil dissidentes de impletionem promissionis, quantumvis sublimis, non prius de rebus suis disponentes, sed mox (*fecerunt cum eum,*) totos se vocantis providentiæ & potestati committentes.

Ordo autem historiae vocationis, sicut & antea ostendimus, hic est: Post capturam piscium, cum Petrus & Andreas adhuc essent in navi & in mari, Jesus primum dixit Petro: (*Ne metuas, posthac enim homines capies.*) Cum verò navem subdu-

xissent

xissent ad terram, dixit utrique & Petro & Andrea: (*Venite post me, & faciam ut sitis piscatores hominum.*) & duo illi statim relictis omnibus secuti sunt eum. Interea verò Jacobus & Johannes in aliam stationem navem suam subduxerant. Jesus igitur in littore, cum duobus hisce sectatoribus, Petro & Andrea, paululum progressus, invenit Jacobum & Johannem, qui nondum descendebant ex navi, sed ibi sarciebant retia. Statim igitur vocavit & hos duos. Et Evangelista studiosè annotant, patrem Zebedæum fuisse, unà cum illis in navi, quo relicto, secuti sint Christum, ut efficacia vocationis Christi, & promittitudo obedientiæ in

discipulis, commendetur. Nam Luc. 9. v. 59. & seq. reprehenduntur illi, qui, quò minus vocati sequantur, præterdunt domum & parentes. Marcus tamen addit: Zebedæum patrem habuisse mercenarios, quorum opera opificium suum curare poterit. Pietas enim longè differt à crudelitate. Ne verò hæc desertio sine speciali vocatione in exemplum à quibusvis trahatur, multi, qui non vocati, ad sectandum se obtulerunt, à Christo prohiberi sunt, Luc. 8. v. 38. & 9. v. 57.

Porro, quòd Christus piscatores & idiotas vocavit, de eo dicemus in historia de electione Apostolorum.

Commonefactio generalis de investigando ordine in historiis sequentibus.

IN sequentibus historiis secundi hujus anni Ministerii Christi in concinnanda perpetua Harmonia ordinis historiae Evangelicæ, multæ obijciuntur difficultates, & varii scrupuli, ex quibus alii aliter se expediunt, sicut de singulis suo loco annotabimus. Jam generalia quædam præmittemus.

Post vocationem igitur Simonis, Andreae, Jacobi & Johannis, Matthæus statim digreditur ad historiam, quomodo Christus totam Galilæam, docendo in synagogis, peragravit. Subjungit deinde prolixam illam concionem Christi, tribus capitibus descriptam. Ac deinde post sanatum servulum Centurionis, demum ad socrum Petri accedit. Marcus, post vocationem illam, Christum statim cum quatuor illis discipulis deducit Capernaum, ad sanationem dæmoniæ, & socrum Petri. Lucas verò, illa duo miracula ponit ante vocationem Petri & Andreae. Deinde cum Marco ferè consentit in ordine. Tatianus igitur & Ammonius Matthæi ordinem sequuntur, ac ex Marco & Luca electionem Apostolorum interferunt, ante sanationem dæmoniæ & socrum Petri. Scholastica verò historia annotavit quosdam ex veteribus, qui unum ex quatuor, hoc est, Monotesaron conscripserunt, post vocationem Petri posuisse sanationem dæmoniæ, socrum Petri, ac paralytici, & vocationem Matthæi. Ac postea subjunxisse, quæ Matthæus sub finem capitis quarti, & cum sequentibus scribit. Scripta est autem historia Scholastica à Petro Comestore, qui frater fuit Lombardi & Gratiani. Cumque Decretum Gratiani, sicut testatur Glossa 2. quæstione 6. editum sit, circa annum Domini 1150. circa illud tempus etiam historiam Scholasticam collectam esse, non est dubium. De veterum ergò Harmonia historiam illam Scholasticam loqui, certum est. Post hos omnes Osiander, singulari ingenii acumine, novam prorsus rationem excogitavit. Sumit enim hoc, quod *ἀρρηκτα* potius quam principium est, omnes Evangelistas semper, ubique & in omnibus servasse ordinem seu seriem historiarum, & nullam historiam apud ullum Evangelistarum extra suum locum & ordinem, vel per anticipationem, vel per recapitulationem narratam esse. Contextit ergò unius Evangelistæ historias, donec perveniat ad aliquam, quàm duo vel tres videntur simul narrare. Sicut in Elencho ejus, quem ideo in principio Harmoniæ exposuit, videre est. Ita

hoc loco post vocationem quatuor illorum discipulorum subjungit ea, quæ solus Matthæus c. 4. v. 5. 6. & 8 usque ad socrum Petri scribit. Ibi enim rursus conjungit Matthæum, Marcum & Lucam, sicut Elenchus ejus ostendit. Et concinna sanè est cogitatio, nullam prorsus transpositionem historiarum faciens, vel admittens in ullo Evangelistarum. Ut autem illam suam rationem obtineat, cogitur argumentis subtilissimis sæpius ex iisdem historiis alias & diversas facere, ut diversam esse vocationem Petri, Andreae, &c. Matth. 4. v. 18. & Luc. 5. v. 1. Aliam esse concionem, Matth. 5. v. 1. & Luc. 6. v. 1. Aliam esse centurionem, Matth. 8. v. 5. & Luc. 8. Aliam esse motum maris Christo in navi dormiente, Matth. 8. & Luc. 7. v. 2. Et nihil quidem habet incommodi, si dicamus, easdem conciones sæpius vel iisdem verbis repetitas, & similia miracula sæpius in pluribus edita. Sed hæc, quæ jam recitavimus, præterquam quòd semper & ab omnibus eadem esse credita sunt, etiam res ipsæ, & rerum narraturam convenientia & similitudo, tanquam intento digito, eadem esse ostendunt, & quidem lectorem ita communiunt, ut etiam si quis ponat diversa esse, res ipsæ tamen in mente reclamare, & quasi in auribus insonare videantur, quòd eadem sint, sicut experientia testatur. Præterea fundamentum hujus opinionis non satis certum & firmum est, quasi Evangelistæ semper & ubique in omnibus ordinem & seriem historiarum, sine ulla vel anticipatione vel recapitulatione servarint. Quædam enim describunt additis certis notationibus ordinis: quædam verò sine hujusmodi notationibus describunt. Et manifestissimum est, historiam incarcerati Baptistæ à Luca per anticipationem, à Matthæo & Marco per recapitulationem, extra suum locum & ordinem, quando hoc accidit, describi. Manifestum & hoc est, quòd Matthæus in uno loco c. 10. v. 1. simul & vocationem & emissionem Apostolorum describit: cum utrumque eodem tempore non sit factum, sicut ex Marco & Luca manifestum est. Sicut etiam de vocatione quatuor discipulorum in præcedenti capite ostendimus, & plura habebimus Evangelistarum, vel certitudo & veritas historiae Evangelicæ vacillabit. Neque enim ad veritatem historiarum necessarium est, ut res gestæ eodem prorsus ordine, quo acciderunt, narrentur. In omnibus enim *το ὕσθρον ὡς τὸ πρῶτον*, & econtrà ulicatum est. Et

Et Evangelistis singulis non fuit propositum, vel annales, vel diaria seu ephemerides scribere: sed Spiritus sanctus ex magno cumulo & concionum, & miraculorum Christi, ea per Evangelistas scribenda selegit, quæ ædificationi Ecclesiæ ad omnem posteritatem necessaria iudicavit. Ordinem tamen aliquem posse deprehendi & colligi, certis quibusdam notationibus Evangelistæ indicârunt. Sed de ratione illa Osiandri iudicium lectori liberum relinquo. (Edit. in folio, Anni 1622. pag. 493. legit: Elenchum Harmoniæ, quem ipse in suis sequitur, exposuit. Nostra cum editione in quarto, Anni 1600. l. 3. p. 56. legit. Elenchum Harmoniæ, quam ipse in suis sequitur, exposuit. Illa ergo, hæc verba Chemnitio, nostra osiandro, cuius revera sunt, adscribit. Res tamen eodem recidit, & Lectori ob id iudicium liberum legendi, uti placuerit, permittitur.)

Ne igitur opus sit, præter necessitatem ex iisdem diversa facere, & perpetuæ totius antiquitatis sententiæ repugnare, & ipsi rerum evidentia reclamare: simplicissimam iudico hanc esse rationem, quam in prolegomenis exposui. Quando Evangelistæ in ordine historiarum non conveniunt, ut diligenter consideretur, an aliquis eorum certa aliqua notatione verum ordinem indicet: ad illam enim notationem reliquorum scriptiones accommodandas esse non est dubium. Et discrimen quidem est inter dogmata Ecclesiæ immota, seu inter articulos fidei, & inter tales disputationes seu disquisitiones; diligentiam tamen, iudico, dignam esse piis, in sacrosancta illa historia de ordine aliquid cogitare. Et quæ de hoc loco, re multum diuque cogitata, deprehendi, bono studio lectoribus candidè iudicaturis exponam. Talia enim, sicut Augustinus eleganter inquit, non cum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate in Ecclesia proponenda sunt. Præcipua igitur argumenta generalia simpliciter & breviter exponam.

Primò, post vocationem quatuor discipulorum Matthæus sine notatione ordinis subjicit de peragracione Galilææ. Ita & Lucas tum post vocationem Petri, tum antea etiam in historia dæmoniaci cap. 4. v. 33. utitur non certis notationibus ordinis, sed generalibus particulis. Marcus verò addit notationem ἀκολούθει. Cum enim dixisset: (Reli-
ctis omnibus secuti sunt eum:) mox addit, (Et ingrediuntur Capernaum, & statim Sabbatis ingressus in synagogam.) Ibi manifesta est connexio sequentis historiae ad præcedentem. Cumque eodem die statim ex synagoga cum quatuor illis discipulis in domum Petri, ubi focrus ejus decumbebat, Jesus ingressus scribatur, & addantur quæ continuè vesperi ejus diei, & sequenti die gesta sunt: certa ratio ordinis à Marco hoc loco indicatur. Et generalis hæc est observatio, quòd Marcus post Matthæum ideo scripsit: ut historiam ejus brevi compendio complecteretur, & ordinem in Matthæi scriptione indicaret, sicut res ipsa in sequentibus etiam ostendet, Marcum sua scriptione esse monstratorem & duce[m] ordinis in historia Evangelica. Observata igitur hac notatione Marci in sanatione dæmoniaci, & focrus Petri, manifestum est, quòd Matthæus, cum cap. 8. v. 14. scripsisset, Christum post prolixam illam concionem venisse Ca-

pernaum, & sanasse centurionis famulum, per recapitulationem addiderit descriptionem sanatæ focrus Petri; quæ & ipsa in Capernaum facta est, sed & antea alio tempore, scilicet, cum post vocationem quatuor illorum Apostolorum ingressus esset Capernaum. Hanc enim notationem Marcus addit. Ex illa ipsa etiam observatione certum est, Lucam sanationem dæmoniaci & focrus Petri per anticipationem ante vocationem Petri & Andree narrasse, quodque ea occasione, cum de comitatu ac domo Simonis, & de focru ejus, dixisset, addiderit per recapitulationem historiam de vocatione ipsius. Hæc simplicia & plana sunt. Quæ igitur apud Matthæum mox post vocationem Petri describuntur, non posse verò ordine in Harmonia statim vocationi illi subungi, sed ἀκολούθει, quam Marcus notat, sequendam esse, hinc manifestum est.

Secundò, si ea, quæ Matthæus post vocationem Petri à quarto capite usque ad octavum describit, in Harmonia statim essent subjungenda, & præmittenda iis, quæ Marcus post vocationem illam secuta scribit, necessario ponendum esset, Jesum ante Pascha secundi anni bis peragrassè universam Galilæam, semel & primò, sicut Matt. 4. v. 23. describitur: secundò verò iterum, sicut Marci 1. v. 39. describitur. Non autem fuerunt tales peregrinationes, ut cum quis per regionem aliquam transit; sed Matthæus dicit: (Circumibat totam Galilæam docens in synagogis eorum.) Et Marcus dicit: (Erat predicans in synagogis, in tota Galilæa.) Fuit autem Galilæa, sicut Josephus scribit, de Bello Judaico lib. 3. cap. 2. valde populosa, & crebras habens civitates, & ubique multitudinem vicorum. In synagogis autem Sabbatis tantum conveniebant, & Jesus Sabbatis in synagogis docebat, Luc. 4. v. 31. Multum igitur temporis assignandum erit, si juxta illam Harmoniam ponendum est, Christum post vocationem illam Petri, ante Pascha secundi anni, bis totam Galilæam peragrassè, ita ut duabus distinctis & diversis vicibus in universa Galilæa synagogis docuerit, Matth. 4. v. 23. & Marci 1. v. 39. Atqui Joh. 4. v. 35. cum Christus secederet in Galilæam, quatuor menses supererant ad messem, quæ in Palæstina post Pascha incoabatur, ita ut octiduo post Pascha spicæ conficari possent, Luc. 6. v. 1. Et historiis illis, quas hæcenus ante vocationem Petri in Galilæa factas exposuimus, cum ita doceret in synagogis, ut fama ubique spargeretur, Luc. 4. v. 37. ad minimum mensis spacium tribuendum est. Vix igitur duo menses supererunt. Quod spacium temporis non admittit, ut dicamus, Christum post vocationem Petri ante Pascha, duabus diversis peragracionibus, & duabus distinctis vicibus, in synagogis universæ Galilææ Sabbatis docuisse. Hoc argumentum valde urgens est, ostendens ea, quæ Matth. capit. 4. post vocationem Petri de peragracione Galilææ scribit, non esse præponenda, sed postponenda illis, quæ Marcus de sanatione dæmoniaci & focrus Petri scribit, ut peragratio Galilææ Matth. 4. v. 23. sit una & eadem cum illa, quæ Marci 1. v. 39. ante sanationem leprosi describitur.

Tertiò, quia in illa peragracione Galilææ, quæ Marci 1. v. 38. & Luc. 4. v. 43. describitur, Christus Capernaits, volentibus se retinere, respondet:

(Opor-

(*Oportet me aliis etiam civitatibus predicare:*) manifestum inde est, eam peragratiōem Galilææ primam esse. Si enim ea, quæ Matth. 4. v. 23. describitur, alia esset, & præcessisset jam, potuissent turbæ respondere: tamen jam in universæ Galilææ synagogis docuisti. Sequitur ergo, unam & eandem peragratiōem Galilææ esse, quæ Matt. 4. v. 23. & quæ Marc. 1. v. 39. describitur. Quæ observatio clarissimè jam monstrat, quomodo ordinandæ sint historiæ post vocationem Petri apud Matthæum & Marcum.

Quarto, nulla aptior & convenientior potest esse ἀνορθία, quam hæc, quod Christus cum duodecim ex discipulis ad Apostolatam formandos elegisset, & suscepisset in concione mox subsecuta, proponat commonefactiones de officio Apostolorum, (*Vos estis sal terra, Lux mundi, &c.*) Item, quomodo doctrina Legis & Evangelii tradenda, & à corruptelis separanda sit. Illud verò expressè & accuratè fit, in concione illa proluxa, quam Matthæus describit. Illorum verò membrorum, quæ ad officium Apostolorum pertinent, in ea concio-

ne, quæ Lucæ 6. v. 20. & seq. describitur, nulla fit mentio. Et hæc ratio vel sola me movet, ut censuram, concionem illam, quam Matthæus describit, ponendam esse post electionem Apostolorum, & conjugendam cum concione Luc. 6. vers. 20. Si enim extra illum locum in præcedentibus, ante electionem Apostolorum, in Harmonia concionem illam Matthæi posueris, & à Lucæ concione separaveris, absurdum videbitur, Christum de officio Apostolorum tunc, cum nondum electi essent Apostoli, multa differere, Matth. 5. Cum verò jam ad Apostolatam formandi, electi & suscepti essent, nullam ejus rei in concione, quæ mox subsecuta est, Lucæ 6. v. 20. & seq. mentionem fieri. De monte verò, Matth. 5. vers. 1. & de planitie, Lucæ 6. vers. 17. & de aliis argumentis suo loco, ubi ad concionem illam pervenerimus, quædam annotabimus. Jam tantum generalia quædam, de ratione ordinis, in hac parte historiarum præmittere volui. Ordine igitur jam de singulis historiis dicemus.

CAPUT XXXVII.
CONTINENS HISTORIAM DE SANATO DÆMONIACO IN SYNAGOGA CAPERNAITICA,
MARC. I. LUC. 4.
RATIO ORDINIS.

IN præcedente commonefactione ostendimus, ea, quæ in Matthæo post vocationem Petri sequuntur, non posse in Harmonia subungi, nec ea, quæ in Luca sequuntur. Marcus enim disertè ordinem historiarum ita notat, ut non sit dubium, post vocationem quatuor illorum discipulorum proximè secutam historiam dæmoniaci. Ita enim Marcus connectit has historias: (*Illi relictis omnibus secuti sunt eum. Et ingrediuntur* (Jesús scilicet, & quatuor illi sectatores recens vocati,) *Capernaum, & statim Sabbatis ingrediens synagogam,*

docebat.) Ordo igitur historiarum & ratio Harmoniæ manifestè ex illa notatione Marci patet. Et Lucas quidem post ejectionem ex Nazareth describit descensum Christi in Capernaum. Sed quia in illo descensu dicit dæmoniacum sanatum: non igitur de illo descensu intelligendum est, quando habitationem suam transtulit Capernaum: Sed quando cum vocatis quatuor illis discipulis ingressus est Capernaum. Tunc enim dæmoniacum sanavit, sicut Marcus expressè scribit. Rectè igitur historiam Marci 1. & Luc. 4. conjunximus.

HISTORIA DE PRIMA EJECTIONE SPIRITUS IMMUNDI
IN SYNAGOGA CAPERNAITICA,

MARC. I.

21. Καὶ ἐσπορεύονταί εἰς Καπερναῖμ, καὶ ἐνθεῖας τοῖς ἑβραίοις εἰσελθὼν εἰς τὴν συναγωγὴν, ἐδίδασκε.
22. Καὶ ἐξεπλήθυνον ἐπὶ τῇ διδασκίᾳ αὐτοῦ ἣν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ ἄχ, ὡς οἱ γραμματεῖς.
23. Καὶ ἦν ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, καὶ ἀνεκράζετο.
24. Λέγων· τί ἡμεῖν καὶ σοὶ Ἰησοῦ Ναζαρηνέ; ἢ λέδες ἀπολεσαι ἡμᾶς; οἶδά σε, τίς εἶ, ὁ ἀγιὸς τῆ Θεοῦ.
25. Καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς. λέγων· Φιμώθητι, καὶ ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ.
26. Καὶ σπαραξάσκει αὐτὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἀκαθάρτον, καὶ κραζέει Φωνὴ μεγάλη ἐξελθὼν ἐξ αὐτοῦ.
27. Καὶ ἐθαμβήθησαν πάντες, ὥστε συζητεῖν πρὸς αὐτὸν λέγοντας· τί ἐστὶ τοιοῦτος; τίς ἡ διδασκίᾳ ἡ καινὴ αὕτη; ὅτι καὶ ἐξουσίαν καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει, καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ;
28. Ἐξῆλθε δὲ ἀκοῆ αὐτοῦ εὐθύς εἰς ὅλην τὴν περιχώρον τῆς Γαλιλαίας.

21. Et ingrediuntur Capernaum, & statim Sabbatis ingressus in synagogam, docebat.
22. Et stupebant super doctrina ejus. Erat enim docens eos, tanquam auctoritate præditus, & non sicut scribe.
23. Et erat in synagoga eorum homo obnoxius spiritui immundo, & exclamavit,
24. Dicens: Sine, quid rei nobis tecum est, Jesu Nazarene? Venisti ad perdendum nos? Novi te, quis sis: nimirum ille sanctus Dei.
25. Et increpavit illum Jesus, dicens: obmutesce, & exi ab homine.
26. Et cum discerpisset eum spiritus immundus, exclamasset; voce magna, exiit ab eo.
27. Et obstupuerunt omnes ita, ut conquirerent inter se, dicentes: Quid est hoc? Quæ doctrina nova hæc? Quia cum auctoritate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?
28. Emanavit autem fama ejus statim in totam undique regionem Galilæe finitimam.

LUC.